



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

Disputatio XV. De contrarietate vitii & peccati

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

# TRACTATUS VI.

DE  
PECCATO PERSONALI.

**P**eccati Tartaream Larvam & infame monstrum Tibi ob oculos pono, Amice Lector, omnemque ejus ortum, partum, patriam, & (ut sic loquar) Genealogiam. Facies ipsius hoc ipso summe deformis est, quia informis, in qua nec lucis radium, nec boni alicujus colorem, nec lineam entis reperias. Umbra est omnibus inferni umbris tetrior, atque umbrosior: *Sub umbra dormit, protegunt umbræ umbram ejus.* Job. 40. Ortus ipsius (ut monstis solet) abortus est. Nascitur refugo, & velut ad Thyestæas epulas lucem suæ gratiæ retrahente æterno sole. Qui possent obscuriores esse natales? Ita etiam cum prodit in lucem, perdit lucem & perimit, lucifugæ mentis, cæcæ voluntatis partus tenebrosus. Hinc claros scilicet agnosce parentes: Sunt cæcitas, error, ignorantia, tenebræ, nox. Nec ipsum tamen, ut alia monstra, sterilitate damnatur. Amplissimum peccati genus pro in quantas familias, species, numerosque diffunditur! *Multiplicata sunt super capillos capitis,* Psal. 39. Sedem porro non alibi figit hoc lethale, & illatibile monstrum, quam in creatæ voluntatis à DEO deviatæ, & in perplexos errores intricatæ Labyrintho. Hæc ipsi avita domus, sedes, & patria. Quid jam mirum, si in hoc Labyrintho labor intus? cum peccati collactanei comites sint *Terribiles visu formæ, Lethumque laborque?* Comites, inquam, & appendices terribiles, macula, & reatus penæ æternæ: Illa mors anima, hic labor & dolor sine fine: ex illa *malum*, ex ista *amarum est dereliquisse Dominum DEUM.* Jer. 2. Ex hac caudâ draconem, ex ovo aspidem æstima, & vel fuga, vel fuge peccatum *tanquam faciem colubri,* Eccli. 21. Quod ut posses, cum S. D. à q. 71. primò vitii, quod moralis malitiæ proximus fons est, dein ipsius peccati totam deformitatem ob oculos ponimus. Et nunc quidem de personali peccato, quod propriâ voluntate perpetratur; sequenti ac speciali Tractatu de peccato originali disputabimus.

## DISPUTATIO XV.

DE

### Contrarietate vitii & peccati.

**V**itium sive à vitando, sive sit à vituperando dictum, juxta diversos oppositionis terminos comparari potest, vel ad subjectum, in quo recipitur, vel ad virtutem quam oppugnat; eamque vel supernaturalis ordinis, & divinitus infusam, vel ordinis naturalis, & nostris actibus acquisitam. Sub prima consideratione quaeritur, an vitium contrarietur hominis naturæ, eique vel ut rationali, vel ut sensitivæ? Sub secunda quaeritur, an vitium contrarietur virtuti tum acquisitæ, tum infusæ? Nunc sit

## ARTICULUS I.

## An vitium contrarietur virtuti?

## SUMMARI.

1. Datur propriè dicta contrarietas inter vitium & virtutem acquisitam.
2. Quomodo virtus in medio?
3. Bonum & malum opponuntur & privative & contrarie.
4. Quomodo unum uni contrarietur?
5. Triplex opinio de contrarietate vitii cum virtute.
6. Vitium virtuti infusa non directè,
7. Sed indirectè opponitur.
8. Diversa motiva non semper tollunt contrarietatem.
9. Quandonem habitus contrarii possint in gradibus intensis simul consistere.

## §. I.

Contrarietas vitii cum virtute acquisita.

1. **CONCLUSIO.** Vitium opponitur virtuti contrarietate propriè dictà S. D. q. 71. a. 1.

Ratio est: Contraria propriè sunt, quæ sub eodem genere maximè distant, seque ab eodem subjecto mutuo expellunt: sed virtus & vitium in genere moris & qualitatis maximè distant, nam virtus secundum Philosophum in 7. phys. est dispositio perfecti ad optimum, vitium autem juxta D. Aug. L. de perf. just. c. 2. est qualitas secundum quam malus est animus. Insuper sese mutuo ab eodem subjecto expellunt: neque simul consistere possunt in gradibus intensis: neque enim simul aliquis est temperans, & intemperans, sed vel per actus frequentatos fit ex intemperanti temperans, vel per actus oppositos fit ex temperanti intemperans. Ergo vitium & virtus propriè contrariantur.

Dixi tamen in genere moris vitium & virtutem maximè distare: quia licet duo vitia extrema, v. g. prodigalitas & avaritia à se invicem magis distent, quàm à virtute liberalitatis in genere physico, non tamen in genere moris, & sub consideratione honesti, vel inhonesti; sic enim utrumque vitium continetur sub genere inhonesti, dum e contra virtus liberalitatis pertinet ad lineam honesti.

2. Dices primò. Virtus etiam in genere moris spectata consistit in medio: sed extrema à se invicem magis distant, quàm à medio: ergo vitia etiam in genere moris à se magis distant, quàm à virtute.

Respond. Virtus in genere moris spectata consistit in medio, connotativè [hoc est, in quantum ex parte objecti & materiæ, circa quam versantur, connotat medium inter excessum & defectum] concedo; subjectivè & formaliter [quasi ipsa in se foret media inter utrumque vitium] nego: sic quippe utrumque vitium extremum constituit unam adæquatam inhonestatem, virtutis adæquate honestati oppositam.

3. Dices secundò. Inter bonum & malum non est oppositio contraria, sed privativa, siquidem malum formaliter dicit absentiam bonitatis debiti: atqui vitium & virtus sibi opponuntur ceu

bonum & malum: ergo inter illa non est oppositio contraria, sed privativa.

Respond. disting. major. Bonum & malum secundum abstractam rationem mali sibi privative opponuntur, concedo; secundum concretam rationem mali, nego: ergo vitium & virtus privative opponuntur, secundum abstractam rationem vitiositatis, concedo; secundum concretam, nego consequentiam. De quo mox plura.

Dices tertio. *Uni non nisi unum contrarium*, inquit Philosophus 10. Metaph. tex. 17: atque virtuti opponuntur duo extrema vitia: ergo inter vitium & virtutem non est vera & propriè dicta contrarietas.

Resp. Unum uni contrarium secundum unam rationem concedo; secundum alias & diversas, si in se plures includat, nego. Cùm igitur virtutis adæquatum motivum plures inadæquatas includat, quarum una prohibet excessus, altera defectus, nihil obstat, quin duplici vitio contrariari possit.

## §. II.

Examinatur contrarietas vitii cum virtutibus infusis.

Circa contrarietatem vitii cum virtute infusa triplex est Doctorum opinio. Prima negat dari ejusmodi contrarietatem, quam tenet S. Curiel, & Lorca in pf. disp. 2. Secunda docet oppositum, cui favent Zumel, & Alvarez, disp. 22. Tertia ex hypothesi, quod habitus infusus non tantum dent simpliciter, sed etiam faciliter posse, distinguit inter vitia producta per actus directè recedentes ab honestate & rectitudine virtutis supernaturalis, prout est odium DEI, & inter vitia producta per actus directè recedentes tantum à motivo & honestate virtutis naturalis. Prioris generis vitia, dicit, habitibus virtutum supernaturalium directè contrariari; sic enim certum est, odium DEI per actum charitatis formaliter expelli; posterioris generis vitia docet non opponi contrariè, saltem directè. Ita Montefinos hic q. 1. n. 16.

**CONCLUSIO.** Vitium, quantumvis non directè recedat à motivo & honestate virtutis infusæ, habet nihilominus cum ipsa contrarietatem (1.) non quidem directam (2.) sed indirectam. Ita Goussier hic tr. 3. disp. 15. §. 1.

Prior pars est expressa S. D. in 4. dist. 14. q. 2. a. 2. ad 4. dicentis. Dicendum, quod sicut in 3. L. dictum est, virtus infusa & acquisita non sunt ejusdem speciei: unde cum habitus ex frequentatione operum peccati generatus, virtus acquisita contrarius sit, non contrariatur directè virtuti infusæ, que habet oppositionem cum peccato ex parte illa, quæ est offensa DEI, unde non oportet, quod habitus virtutibus infusis restitutus, habitus vitiorum veliter tollantur, quamvis impediantur & diminuantur. Hæc S. D. Unde formatur duplex ratio. Contrarietas directæ non est nisi per ordinem ad unum idemque formale objectum; sed non est

num idemque objectum formale virtutis acquisita & infusa, siquidem specie distinguuntur; cum virtus acquisita habeat motivum honestatis ex lege & ratione naturali derivata, infusa vero motivum honestatis derivata ex lege supernaturali, & regulata per lumen fidei: ergo non potest vitium exercere directam contrarietatem adversus utramque virtutem. Contra quam igitur pugnat? Contra illam, a cuius motivo directe recedit, & hæc est virtus acquisita.

Secundò. Illi virtuti directe contrariatur vitium, cum cujus motivo directe pugnat actus vitii: habitus quippe sunt propter actus, & ab illis proximè specificantur: atqui actus vitii directe pugnat cum motivo virtutis acquisitæ, non infusæ: ergo non virtuti infusæ, sed acquisitæ directe contrariatur.

7. Altera pars æquè probatur auctoritate & ratione S. D. Inter illos habitus intercedit aliqua contrarietas indirecta; cum enim sint inter se incompossibiles, debet illa incompossibilitas reduci ad aliquod genus oppositionis; nec potest facile ad aliud reduci quam positivæ contrarietatis, siquidem utrumque extremum est positivum.

Confirmatur primò. Virtus, quæ dimiuit habitum vitii, habet aliquam oppositionem contrariam cum illo: sed virtus infusa per suum actum tamen non omnino destruat, dimiuit tamen habitum vitii, & facit ut sit in statu corruptionis, ita affirmante Doctore Angelico q. 1. de Virt. in comm. a. 10. ad 16. *Dicendum, quòd licet per unum actum simplicem non corrumpatur habitus virtutis acquisita, tamen actus contritionis habet hoc, quòd corrumpat habitum vitii generatum ex virtute gratiæ, unde in eo, qui habet habitum intemperantiæ, cum conteritur, non remanet cum virtute temperantiæ infusa habitus intemperantiæ in ratione habitus, sed in via corruptionis, quasi dispositio quadam, dispositio autem non contrariatur habitui perfectò.*

Confirmatur secundò. Peccatum avertens hominem ab ultimo fine naturali, indirectè etiam avertit à fine ultimo supernaturali, & vice versa; quia ultimus finis naturalis, quantumvis diversi ordinis, est tamen subordinatus ultimo fini supernaturali, & efficax conversio in finem ultimum supernaturalem est incompossibilis cum aversione ab ultimo fine naturali: ergo pariter inclinatio in peccatum [h. e. vitium] indirectè contrariatur cum inclinatione in actum virtutis infusæ, qui est mediata vel immediata, formalis vel virtualis conversio in ultimum finem supernaturalem.

## § III.

*Solvuntur Objectiones.*

8. Objicies primò. Habitum inclinantes in actus oppositos tantum materialiter, sive circa objectum materiale, sub diversis tamen mediis aut

motivis formalibus, sibi invicem non contrariantur: sed vitium & virtus infusa inclinant tantum in actus oppositos, sub motivis formaliter diversis: ergo non contrariantur. Major probatur: Sic habitus erroneus circa physicam demonstrationem rotunditatis terræ, non contrariatur mathematicæ demonstrationi ejusdem: quia licet circa objectum materiale habeant oppositionem, procedunt tamen ex motivis formaliter diversis.

Respond. negando vel dist. Maj. si illa diversitas motivorum sit sufficiens tollere effectus privativè oppositos, concedo; si non sit sufficiens, sed illos potius causet, nego majorem: & sic distincta min. nego consequentiam. Unde ad probationem nego assumptum; nam intellectus per habitum erroneum redditur obscurus & incertus de terræ rotunditate, per scientiam verò mathematicam efficitur clarus & certus, quia effectus formaliter oppositi non tolluntur sed potius causantur per diversa motiva formalia: prout in simili loquuntur Thomistæ in 2. 2. cum probent habitus fidei supernaturalis, & scientiæ naturalis circa idem objectum materiale simul in intellectu componi non posse, quantumvis sint diversi ordinis & procedant ex diversis motivis.

Objicies secundò? Contraria sunt, quæ se mutuò expellunt ab eodem subiecto, ideoque in gradibus intensis non possunt simul consistere; atqui virtus infusa quantumvis in gradu valde intenso consistit in homine recenter justificato unà cum vicio per actus frequentatos generato & opposito honestati virtutis naturalis: ergo inter se non contrariantur.

Respond. distinguendo majorem. Quæ se mutuò expellunt &c. quando sunt in gradibus intensis tam quoad substantiam, quàm quoad modum habitus, concedo; tantum quoad substantiam, nego maj. sed in homine recens justificato reperitur virtus infusa in gradu intenso quoad substantiam habitus, concedo; quoad modum habitus, hoc est, quoad rationem difficultatis mobilis, nego: sic & vitium reperitur quoad substantiam in gradu intenso, non autem quoad modum; jam enim, ut docebat Ang. D. cit. est in via corruptionis, est facilius mobile, ideoque habet modum dispositionis. Sed cur virtus infusa in recens justificato non habet modum habitus? Quia propter imbecillitatem subiecti facile amitti potest.

Inquis. Hæc ratione per unicum actum peccati, quo virtus infusa unà cum gratia sanctificante expellitur, vitium restitueretur tam quoad modum, quàm quoad substantiam habitus, quod videretur absurdum. Respond. Restitueretur per se, quasi dando novum esse, nego sequelam; per accidens, removendo videlicet inclinationem supernaturalem, quæ frænabatur illa prava inclinatio, concedo, quod tamen nequaquam est absurdum.

## ARTICULUS II.

## De contrarietate vitii ad naturam.

## SUMMARI A.

1. *Stam questionis.*
2. *Vitium est contra naturam hominis, ut homo est.*
3. *Etiã cum opponitur virtuti infusa.*
4. *Varia instantia solvuntur.*
5. *Potentia peccandi non probat inclinationem naturam ad peccandum.*
6. *Quomodo virtutes infuse dicantur perfectiones naturæ?*
7. *Non requiritur innata aversio, ut aliqua vitia sint contra naturam.*
8. *Duplex consideratio appetitus sensitivi in homine.*
9. *Appetitus sensitivus prout natus subijci imperio rationis.*
10. *Opponitur vitio.*
11. *Non prout est homini brutò, communis.*
12. *Disparitas inter intellectum conjunctum luminis gloria, & appetitum conjunctum rationi.*
13. *Peccatum in genere moris est simpliciter pejus, quam vitium.*
14. *Actus vitiosus potest consistere cum virtute in statu imperfecto.*

## §. I.

1. **N**Otandum Tò *contra naturam* in duplici sensu posse intelligi, primò prout opponitur illi, quod est à natura, & sic violentum est contra naturam; Secundò prout opponitur illi quod est secundum naturam. Illud porò dicitur esse secundum naturam hominis, quod est conveniens ipsius formæ, & naturæ, in quantum est homo, sive sit debitum naturæ, ut perfectiones naturales; sive indebitum, ut perfectiones supernaturales, nam & istæ tametsi naturæ ut sic sint neutiquam debita, quia tamen eandem maximè perficiunt, rectè dicuntur esse secundum naturam hominis. Quia verò ipsa hominis natura non tantum includit appetitum naturalem, sed etiam sensitivum, in quo aliqua vitia & peccata subiectantur, idcirco oritur questio, an vitia adversentur naturæ hominis non tantum ut homo est & secundum inclinationem rationalem, sed etiam ut sensitivus est; & ut secundum inclinationem sensitivam? Nunc de prima contrarietate contra naturam hominis ut homo est, sit

2. **CONCLUSIO.** *Vitium tam ut directè oppositum virtutibus acquisitis, quam ut indirectè vel directè oppositum virtutibus infusis, est contra naturam hominis, ut homo est.* Ita S. D. 2. 2.

Prima pars non est admodum controversa. Nam quod est contra perfectionem & inclinationem naturalem hominis ut homo est, illud est contra naturam hominis, sed vitia directè opposita virtutibus acquisitis ita se habent: homo quippe secundum appetitum rationalem naturaliter appetit bonum honestum, tanquam bonum rationis, ad quod per virtutes acquisitas tanquam perfectiones naturæ rationali proprias ordinatur, atque deducitur: sed vitia prædicta oppugnant

bonum honestum, & virtutes, quæ circa illud versantur; ergo.

Secunda pars, quæ includit etiam illa vitia, quæ & quatenus sunt opposita virtutibus infusis, probatur inprimis autoritate S. P. Augustini, qui indiscriminatim & ex ipsa generica ratione vitii docet, omne vitium esse contra hominis naturam. Sic. l. 3. de lib. arb. c. 13. docet; *Omne vitium, eo ipso quod vitium est, contra naturam est.* Et l. 12. de civi. c. 1. *Omne vitium, inquit, nature nocet, ac per hoc contra naturam est.*

Ratio quoque est: Illud est contra naturam hominis, ut homo est, quod est contra perfectionem naturæ rationalis, quæ talis: sed vitia etiam prout contrariantur virtutibus infusis, sunt contra perfectionem naturæ rationalis, quæ talis: quis enim dubitet, naturam rationalem per virtutes infusas summo opere perfici? ergo vitia, etiam ut opposita virtutibus infusis, sunt contra naturam hominis, ut homo est.

## §. II.

## Solvuntur Objectiones.

**O**BJICES primò contra rationem nostræ attentionis. Tunc ex contrarietate vitiorum ad virtutes acquisitas non rectè probatur contrarietas vitiorum cum humana natura, quando admittà illà oppositione, tamen non est necesse, ut vitia sint contra inclinationem naturæ: sed non est necesse, quod probatur. Esto quòd voluntas matrimonii opponatur cum voluntate virginitatis, quæ est secundum inclinationem naturæ rationalis quæ talis, non sequitur, quod voluntas matrimonii sit contra innatam inclinationem naturæ rationalis quæ talis. Mors, esto quòd sit contraria vitæ, quam natura naturaliter appetit non tamen est contra naturam, sed potius secundum inclinationem & exigentiam naturæ: Motus sursum esto sit oppositus motui deorsum, in quem natura lapidis inclinatur, non tamen est contra naturam, quando ascendit lapis ad impediendum vacuum, &c.

Respond. negando min. ad cujus probationem & instantias adductas Respond. In allatis instantiis utrumque terminum oppositum comprehendendi sub adæquato termino naturalis appetitus atque vitium nullo modo continetur sub adæquato termino appetitus rationalis, quod est bonum rationis, seu honestum. Ita matrimonium non est contra naturam hominis ut rationalis, quia est bonum honestum, neque sub hac ratione opponitur cum virginitate: mors est homini naturalis, quia licet non sit secundum appetitum naturalem inadæquatum ex parte formæ, est tamen secundum appetitum inadæquatum ex parte materiæ: motus sursum licet non sit secundum naturam lapidis, in particulari ut lapis est; est tamen secundum appetitum & naturam ipsius communem, ut est pars universi, &c.

Objicies secundò. Vitia sunt secundum inclinationem

clinationem naturæ humanæ, ergo non sunt contra naturam humanam. Consequentia tenet ex nostra ratione. Antecedens probatur: Ubi datur naturalis potentia, ibi etiam datur naturalis inclinatio: sed in natura rationali creata datur naturalis potentia ad peccandum, siquidem est de essentia ipsius posse peccare: ergo datur in illa naturalis inclinatio ad peccatum, & consequenter ad vitium.

Respond. negando antec. ejusque probationem distinguo: Ubi datur naturalis potentia effectiva & perfecta, ibi est naturalis inclinatio, concedo maj. ubi est potentia defectiva, nego maj. & pariter distincta min. nego consequentiam. Rursus si sit naturalis, h. e. fluens ex positiva radice naturæ, concedo majorem; si naturalis, eò tantum quòd adhaereat naturæ quatenus creata ex nihilo, adeoque secundum aliquam negativam radicem, nego majorem: atqui potentia peccandi naturæ rationali non aliter convenit, nisi quatenus creata ex nihilo, adeoque ut principio defectibili.

6. Objicies tertio. Illud non est contra naturam hominis, quod non est contra perfectionem naturalem ipsius: sed vitia ut opposita virtutibus infusis non sunt contra perfectiones naturales ipsius naturæ; cum neque natura habeat innatum appetitum ad virtutes infusas, nec prout recipiantur in natura, prout est natura, sed prout est potentia obedientialis.

Respond. neg. vel dist. maj. quod non est contra perfectionem naturalem, hoc est perfectionem quæ sit conveniens naturæ eamque perficiens, quo modo ordo gratiæ non destruit sed perficit naturam, concedo maj. contra perfectionem naturalem, h. e. ortam ex principiis naturæ, vel terminum innati appetitûs, nego maj. sicque distincta minore, nego consequentiam.

7. Objicies quarto. Si vitia opposita virtutibus infusis essent contra naturam rationalem, tunc daretur in naturâ aversio innata ab ejusmodi vitiiis, abhorret enim natura rationalis omnem suam imperfectionem: sed hoc admitti non potest: Nam ab his solum datur aversio naturalis, quæ per vires naturæ vitari possunt: sed ejusmodi vitia per naturæ vires vitari non possunt: actus quippe per quos generantur, opponuntur præceptis supernaturalibus, quorum adimpletio requirit gratiam specialem & supernaturalem, veluti si urgeat præceptum credendi, sperandi, diligendi, &c. ut aliunde supponitur.

Respond. negando sequelam maj. nam sicut ad hoc, ut virtutes infusæ sint secundum naturam, sufficit quòd ipsæ perficiant bonum rationis, ad quod nativo appetitu fertur natura rationalis, quantumvis ipsas virtutes infusas non appetat, ita pariter, ut vitia, directe vel indirectè opposita virtutibus infusis, sint contra naturam, sufficit, quòd per ipsa immineatur bonum rationis, quantumvis natura nativâ aversione illa non abhorreat.

## §. III.

*Contrarietas vitii adversus hominis naturam quæ sensitivam.*

8. Appetitus sensitivus in homine considerari po-

test primò secundum prædicata generica, in quibus convenit cum appetitu sensitivo bruti, & præcisè respicit bonum delectabile absque connectione cum honestate & bono rationis; in qua acceptione certum est, vitium non esse contra naturam hominis quæ sensitivam; quia vitium inclinatur in bonum delectabile: sed in hoc etiam inclinatur natura hominis quæ præcisè sensitiva; ergo inter se conveniunt, non contrariantur vitium & natura quæ sensitiva hominis.

Rursus considerari potest idem appetitus, prout actu subicitur imperio & ordini rationis, quo sensu non minus certum est, vitium esse contra naturam sensitivam hominis; nam appetitus actu subiectus ordini rationis tendit in bonum delectabile ut subordinatum & conjunctum cum bono honesto; e contra vitium tendit in bonum delectabile ut deordinatum à bono honesto & ordine rationis, quæ sunt tendentiæ & inclinationes contrariæ. Quæstio igitur est, utrum vitium sit contra naturam sensitivam hominis, in quantum appetitus sensitivus propter conjunctionem cum appetitu rationali in eodem supposito est habitualiter seu potentialiter conjunctus cum bono honesto, & natus aprus obsequii imperio rationis? Et

CONCLUSIO EST AFFIRMATIVA. Ratio 10. est: quia natura sensitiva hominis sub hac consideratione habet intrinsecam inclinationem in virtutes morales tanquam connaturales perfectiones appetitûs sensitivi, quæ in ipso subiectantur; sed vitium adversatur ejusmodi inclinationi, & per suos actus virtutes morales expellit ab appetitu sensitivo: ergo naturæ sensitivæ taliter acceptæ vitium contrariatur. Quæ contrarietas etiam extendenda est respectu virtutum moralium per se infusarum, per quas subiectus appetitûs sensitivi ad bonum & ordinem rationis perducitur, juxta supra dicta.

Dices: Vitium non est contra naturam sensitivam hominis secundum se, & secundum rationem genericam communem cum brutis: ergo neque contra naturam sensitivam prout conjunctam cum altiori & rationali appetitu. Consequentia probatur: Nulla elevatio vel conjunctio cum altiori natura facit, ut aliqua potentia feratur extra suum objectum: sed objectum appetitûs & naturæ sensitivæ secundum se est purè bonum delectabile, non verò bonum honestum: ergo ex conjunctione cum appetitu rationali non habet ut feratur & inclinet in bonum honestum. Atqui propter istam rationem vitium non contrariatur appetitui & naturæ sensitivæ secundum se, unde nec peccatum datur in appetitu sensitivo sic considerato: ergo neque contrariatur appetitui sensitivo conjuncto cum ratione & nato obedire rationi.

Confirmatur. Sequeretur, quòd bonum honestum contingeretur intra latitudinem objecti naturæ sensitivæ secundum se: sed hoc est absurdum: ergo. Sequela probatur: eò quòd per conjunctionem cum lumine gloriæ intellectus elevatur ad videndam divinam essentiam, benè colligitur, quòd essentia divina contineatur intra latitudinem objecti intelligibilis: ergo si per conjunctionem cum ratione appetitus sensitivus ele-

vatur

vatur ad prosequendam honestatem rationis, recte infertur quod bonum honestum contineatur intra sphaeram objecti sensibilis.

Respondeo negando consequentiam. Ad probationem dist. min. objectum naturae sensitivae secundum se, h. e. abstractivè à differentiali contractione ad speciem humanam est purè bonum delectabile, concedo; ipsius ut contracta ad speciem humanam, nego min. & sic dist. consequente, nego consequentiam, vel subdistinguo: ex conjunctione cum ratione non habet natura sensitiva ut actu feratur in bonum rationis, concedo; potentià, & dependentur ab imperio rationis, nego. Ideoque, sicuti conjunctio cum ratione dat appetitui sensitivo, non actu obedire, sed posse obedire rationi, ita dat etiam posse tendere in bonum rationis.

12. Ad Confirmationem nego paritatem: quia lumen gloriae tantum dat proximam potentiam ad videndam divinam essentiam, prout est in se; adeoque supponit in intellectu potentiam radicalem & remotam videndi divinam essentiam, quae proinde contineri debet intra latitudinem ipsius objecti: atqui conjunctio cum ratione dat naturae sensitivae potentiam remotam attingendi bonum rationis, quod ipsi secundum genericam praedicata non convenit.

## §. IV.

## Corollaria ex dictis.

13. Colliges ex dictis primò. Peccatum in genere moris simpliciter pejus esse, quam vitium, ut habet S. D. a. 3. Cujus ratio est primò: quia habitus est moraliter malus propter actum malum, in quem inclinatur, & à quo proxime specificatur, sed propter quod unumquodque tale illud magis tale in genere causae formalis & finalis, secundum Philosophos; ergo actus peccati moraliter magis est malus, quam vitium.

Secundò. Illud est moraliter pejus, quod magis repugnat cum statu gratiae & charitatis; sed

peccatum magis repugnat cum statu gratiae & charitatis, siquidem iste per peccatum destruitur, non autem per habitum vitiosum.

Tertiò. Quia vitium non demeretur, adhibere autem vitiosis demeretur; ergo peccatum est simpliciter pejus, quam vitium. Dixi, simpliciter: nam secundum quid vitium potest esse pejus, quam peccatum: primò, quatenus est causa efficiens saltem inadaequata peccati: secundò ratione majoris diuturnitatis & extensionis; nam actus peccati transit, vitium permanet, atque plures actus malos extenditur.

Colliges secundò cum S. D. a. 4. Adhuc vitiosum, seu peccatum bene posse consistere cum virtute in statu imperfecto, non autem in statu perfecto. Virtus in statu perfecto dicitur, quae hominem optimè disponit in ordine ad ultimum finem, ita ut actus ipsius acceptentur à DEO, utquam digni vitæ aeternae, & sic virtus in statu perfecto semper est conjuncta cum gratiâ & charitate. Virtus autem in statu imperfecto est habitus ex objecto bonus & honestus, qui tamen actus meritorios vitæ aeternae producere non potest. Cujus generis sunt habitus acquisiti virtutum moralium, & ex virtutibus supernaturalibus infusis fides, & spes, quae cum ex sua natura sint praeviae dispositiones ad gratiam & justificationem, non necessariò praesupponunt ipsius infusionem, & sine gratia possunt consistere. Ex quo facile patet ratio Corollarii: quod habet necessariam connexionem cum gratiâ & charitate, illud cum peccato non potest consistere, e contra, quod non habet necessariam cum gratiâ & charitate, potest cum peccato consistere: sed virtus in statu perfecto habet, in statu verò imperfecto non habet necessariam connexionem cum gratiâ & charitate: ergo illa non potest, ista potest cum peccato consistere; & per consequens illa destruitur, ista non destruitur per peccatum. Unde habes, quae de vitii contrarietate sunt dicta, proportionaliter esse applicanda peccato.

## DISPUTATIO XVI.

DE

## Quidditate &amp; natura peccati.

Quamvis nihil sit exploratius, quam existentia, tamen nihil obscurius & difficilioris indaginis, quam natura peccati: Hanc tamen etsi lucis vacuum, praesenti disputatione ex Angelicæ doctrinae Lumine in lucem eruere conabimur, & de peccati commissionis definitione primò, deinde ejus constitutivo tractabimus.

## ARTICULUS I.

## Quid sit peccatum.

## SUMMARIUM.

1. *Varia acceptiones peccati.*
2. *Divisio peccati in actuale & habituale.*
3. *Definitio Augustiniana peccati.*
4. *Convenit etiam peccato veniali, & omissionis.*
5. *Objectiones.*
6. *Solvuntur.*
7. *Diversa nomina & applicationes peccati.*

§. I. De